



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 7. De vitiis oppositis spei. Pars prima de desperatione,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

75. Spes Christiana definitur esse virtus infusa eaq; Theologica, per quam speramus à Deo vitam æternam, cum omnibus medijs ad eam consequendam necessarijs: ex Dei auxilio, gratia, & misericordia ac nostra cooperatio ne nobis prouidentem. Cuius definitionis 1. parte, quæ locum tenet generis, significatur id in quo spes communica cum fidem & charitate. Nam ut hæc, sic spes est virtus tum diuinis infusa; seu donum Dei ab ipso infusum animis nostris, iuxta illud Ecclesiastici 2. Ego mater pulchra dilectionis & timoris & sanctæ spei ] & ad Rom. 15. Deus spes repleat vos omni gaudio ] tum etiam Theologica, quoniam habet Deum tam pro obiecto (Deum enim speramus quatenus est bonum nostrum) quā pro fine: quia in Deum speramus, ut per ipsum & in ipso habituri nostram veram & completam beatitudinem.

Excludit autem tum spem acquisitam, qualem habent haeretici, quivit fidem infusam, ita & spem infusam perdiderunt: tum spem humanam, quæ ponitur in homine; & præsumptionis potius quam vera spes rationem haberet: damnabilisque est, iuxta illud Psal. 145. Nolite confidere in principiis] ac illud Ierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, &c.]

Reliquæ partes definitionis, tenentes locum differentie, continent primo actum spes, qui est sperare. Secundo, proprium illius obiectum, quod est vita æterna: eaque tam materialis, que est Deus, quatenus nostrum summum bonum: quam formalis, quæ est beatitudo filii Dei, per quam ipse profundendus est à nobis. Tertio, obiectum secundarij: cuiusmodi sunt media ad beatitudinem consequendam necessaria: tum supernaturalia, præterim gratia gratum faciens, & remissio peccatorum: tum temporalia, quæ ad hanc vitam agendum dum peregrinamur à Domino, sunt necessaria.

Postremo per illud quod dicitur, ex Dei auxilio, &c. continet ea quibus fulcitur spes, ut sit certa & firma; fulcitur enim gratia, misericordia, & promissione diuina: itemque meritus tunc Christi imprimis, tum Sanctorum ac etiam nostris tāquam causis minus principalibus & instrumentis. Atq; ex his intelligitur. Primo, spem esse virtutem voluntatis cum actus illius, inclinatio scilicet in beatitudinem. Namque inclinari in bonum, non est intellectus sed voluntatis. Secundo, supponere fidem in obiectu. Nisi enim quis credit beatitudinem esse diuino auxilio obtinendam, non vtique eam sperat.

Tertio, conuenire quidem cum fide & charitate in eo, quod sit virtus Theologica, seu quæ circa Deum tanquam obiectum versetur, sed ab eis multum differre: præseruit à fide, quæ est in intellectu: & est honorum ac malorum; præsentium, præcessorum, ac fututorum: vniuersalium ac particularium, ad nos aut ad alios spectantium: cum spes de se sit tantum bonorum futuorum & particularium ad nos spectantium. Atque fides sit prior spes: sicut mater sua prole. Charitas autem vtraq; posterior est origine, sed perfectione prior & durabilior: siquidem ex priori ad Corinth. c. 13. nunquam excidit: ita ut perseueret in beatitudinibus & spes non inueniuntur, sed etacuantur per claram visionem plenamque fructuam Dei.

#### PARS RELIQUA CAPITIS.

##### De precepto spes.

77. Extare præceptum diuinitutis actus spes, patet per illud Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiae & sperate in Domino ] & illud Psal. 61. Sperate in Domino omnis congregatio populi] ac deinceps per alia quibus passim spes in Deum nobis in sacris literis commendatur. Ratioque suadet, quia omnis actus ad salutem æternam nobis necessarius, positus est in præcepto. ex communione Theologorum axiomatica, fundato in verbis Domini Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi erua manda. Sed sperare in Deo, actus est ad salutem necessarius, iuxta illud ad Rom. 8. Spes salutis facta sumus. Vnde spes in Conc. Trident. sess. 6. cap. 6. constituitur dispositio necessaria ad iustificationem: & consequenter ad vitam æternam, quæ non habetur sine iustifi-

catione. Itaque actus ille sperandi ex quo spem ante descriptionem, est in præcepto: eo quæ obligante labore mortali, cum detur de actu necessario ad æternam salutem. Est autem præceptum affirmatiuum, includens in se negatiuum de non desperando, neque præsumendo de misericordia Dei. Quia ex parte, iuxta communem conditionem præceptorum negatiuum, obligat pro omni tempore: ita ut nunquam licet desperare, aut præsumere de misericordia Dei.

Absolute autem ac secundum se, pro conditione præcepti affirmatiuum, obligat tantum pro tempore quo necessitas exigit illud impleri: ut exigere censetur (inquit ad 2. 2. D. Thom. q. 22. art. 1. Banes dubio 2. & Gregorius à Valentia disput. 2. quest. 4. puncto 1.) per le quidem, cum aliquis infestatur graviori aliqua tentatione desperationis: quia tu ac maxime, necessarium est animu contraria mortuæ sci confidmare. Per accidens vero, cum aliquis tenetur animum spes munire ad superandam tentationem aliquam in materia aliarum virtutum: iuxta monitum Apostoli cum ait ad Titum 2. Abnegantes impietatem & sacrilegia desideria, sobrie iuste & pie vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, &c. Aut cum instar obligatio aliquid agendi, ad quod spes requiritur tanquam medium nescialium, ut obligatio præterit. Nam sine spes, penitente nemo potest ut patet ex dictis in precedentibus lib. 5. num. 18.

Sed utrumque authores recte aiunt: sperare, est peccatum idem cum eo quod committitur succubendo tentationi: non item aliquid speciale. Vnde ipsum cum illo in confessione exprimere non est necesse, quod etiam expressit Sanchez in opere moral. cap. 33. num. 3. in fine. Ratio vero est: quia vñus spes in tali casu non requiritur per se, sed solum ut medium opportunum ad peccatum vitandum in materia alterius virtutis. Extra eos casus autem, ut quis se præceptum istud impluisse ruto existinet, inquit Banes ibid. concil. 4. sufficit ut actum spes liquoties in anno exercuerit: sicut aliquoties oras sufficit ad implendum præceptum oratione: vel certe, ut ait Gregor. à Valen. studuerit subinde exercere spem sperando in Deum.

#### C A P. VII.

##### De vitiis oppositis spes.

##### PRIMA PARS CAPITIS.

##### De desperatione.

##### S V M M A R I V M.

- 79. Definitio desperationis.
- 80. Diuisio desperationis in puram & mixtam, que vtraq; peccatum est gravissimum contra Spiritum sanctum.
- 81. Alia diuisio in mentalem, verbalem & realem.
- 82. Duo adhuc alia: una ex obiecto, & altera ex modis quibus contingit.
- 83. Desperationis causa, & effectus.
- 84. Sollicitudo temporalium quedam bona, & quedam mala: & in quo ab ea differat thesaurizatio, ac quando hoc sit, vel non sit licita.
- 85. Presumptio multis modis dicitur: & eo quo hic accipitur, duplex est.
- 86. Devtrage quando contingat.
- 87. Devtrage item quod tam pura, tam mixta, seu coniuncta cum erroris in fide, esse posuit.
- 88. Quodque vtraq; peccatum sit mortalē: pura tamen minus grave, quam mixta.
- 89. Presumptio peccatum est minus desperatione: & documentum observandum in iudicando de iisdem peccatis.

D E desperatione agunt D. Thom. & interpres ipsius 2. 2. quest. 20. & Summularij in verbo Desperatione, atque aliis: inter quos Viguerius in titulo De viuitibus Theologicis cap. 11. §. 1. eam definit esse dissidentiam

de alle-

deesse asequenda beatitudine, propter defectum diuinæ gratiæ & meritorum propriorum: ut quando quis existimat se damnandum, eo quod non credit Deum miserrum ipsius, ideoque non intendit conuerti. Ita ille & rete: quia motus desperationis est contrarius mortui spiritus antea descripsæ; vnde ut sperare in materia proposta, est animo isti beatitudinem tendere, tanquam in bonum arduum, quod possit diuina ope consequi: quodque proinde procures, & asequi cuitaris: sic desperare est animo refugere eandem beatitudinem, tanquam bonum arduum, quod nequeas diuina ope consequi: & proinde signis redarisi ad illius procuratorem.

80. Diuiditur autem desperatione primo ex forma in qua contingit parva & mixta. Pura dicitur, quæ est absque vello errore in collectus circa fidem, id est, absque heresi, vel alia infidelitate. Mixta vero, quæ est coniuncta cum dirito errore: ita scilicet ut per eam fides & pes amittantur, cum per puram amittatur sola spes. Ad cognoscendum vero quando coniunctio ea contingat, examinandus est actus intellectus à quo desperatione ipsa procedit. Si enim contineat errorem contra fidem, amittitur etiam fides, & est duplex peccatum necesse desperationis & infidelitatis. Sin secus, manet fides, & est unicum peccatum desperationis v.g. si quis desperat, quia putat non esse æternam beatitudinem, vel non esse Deum qui potest: aut qui parcer do peccatis, vult eam dare: ita desperat, vt simul erret contra fidem. Non item is qui desperat, quod pater Deum non parcitur sibi: aut le nunquara bene facturum. Non enim est contra fidem putare & dicere Deus non parcer mihi, Ego bene, seu opera meritaria vita æternæ, nunquam faciam: cum de horum contrario non habeatur reuelatio diuina per Ecclesiam Catholicam proposta.

Porro vtraque illa desperatione peccatum est in Spiritum sanctum: de quo Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 126. Ac pura peccatum est quidem minus quam mixta: sed tamen, vt D. Thomas in cit. quest. 20. art. 3. recte ostendit, grauissimum. Tum quia vni de virtutibus Theologicis omnium præstantissimis repugnat: tum quia perniciössimum est: utpote quo ablata spe salutis homo effrenate ruit in virtute iuxta illud ad Ephes. 4. Desperantes tradiderunt semetiplos immunditiae. Tum denum quia valde iniurio am Deo: quia desperationis motus, conformis est falso iudicio de illo, quo indicatur non posse per ipsius misericordiam, quempiam obtinere salutem æternam. Quanquam est peccatum minus graue, quam infidelitas, & quam odium Dei. Ratio est, quia ludit Deum consideratum in ordine ad nos, seu pœnitentia nobis in beatitudinem habendum est: cum infidelitas & odium Dei ladtant ipsum secundum se: quoad attributa infallibilis veritatis, & suam bonitatis.

81. Diuiditur secundo desperatione ex subiecto cui inest, in mentalem, quæ est tantum in voluntate: in verbalem quæ foras prorumpit in verba desperationis: vt Cain. Genes 4. cum dixit, Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. ] & in realem, quæ prorumpit in actum vel opus, qualis fuit Iuda proditoris, qui desperans laqueo se suspenit Matth. 27. & eorum qui dicunt Ierem. 18. Desperatus post cogitationes nostras ibimus & vnuſquisq; prauitatem cordis sui malitiam faciemus. ] & eorum qui, ut habet Apostolus ad Ephes. 4. Desperantes semetipos tradiderunt impudicitie in operationem immunditiae omnis, in auaritiam. De quorum numero esse merito censentur, qui semper male vivunt, ne unquam penitentiam agunt. De talibus enim cum Apol. ibid. vere dicimus: quod sicut gentes ambulent tenebris habentes obscuratum intellectum, alienatum à vita Dei, &c.

Diuiditur tertio ex obiecto circa quod versatur, in desperationem venia seu remissionis peccatorum, qualis fuit in Caino & Iuda proditore: & in desperationem melioris vitae, seu desistendi à vitia, & gratia obtinendæ ad exercenda virtutem opera: qualis est multorum in vitis enutritorum: & in desperationem gloriae, vita æterna consequendæ: qualis est impiorum, quæ describitur in cap. 2. libri sapientia.

Diuiditur quartæ ex gradibus seu modis, quibus con-

tigit in tale peccatum prolabi. Quorum primus est, nra quam considerare attente, ea quæ possunt hominem in ipsam æternam salutis erigere: vt sunt ditinae promissiones infallibiles, & adiumenta oblata à Deo. Secundus est, desperare de temporalibus & necessariis finitus vita: nolendo se committere diuina prouidentia, nimiaque solicitude occupando se in talibus bottis congregendis: contra quam faciendum esse non modo precipit, sed etiam aper te ostendit Dominus noster Matth. 6. Tertius est, deficere à studio orandi, aut perseverantia in oratione, eo quod non statim impetrare quod petis, tanquam conducens ad salutem tuam: secus quam faciendum esse Dominus precipit & ostendit dupl. parabolam apud D. Lucam cap. 11. Quartus est, desperare de venia & remissione peccatorum, quam nullum Deum in hac vita denegare, frequenter sacræ literæ indicant: vt tum alibi tum maxime in Psal. 75. vers. 8. 9. 10. Nunquid in æternum proicit eccl. Ierai. 49. vers. 15. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, &c. ] & Iere. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen rettertere ad me, & suscipiam te. ] Ac demum Luc. 15. vbi tres parabolæ proponuntur ad declarandam in peccatores propensityam Dei misericordiam. Quintus est, desperare de vita emendatione, ob rei difficultatem & nostram fragilitatem, quasi Dei gratia non sit multo potentior. Non est enim ita possibile omne verbum apud Deum: qui dicit Isaia. Lamentamini, mundi estote, &c. si fuerint peccata vestra ut cocinum, quasi nix de lumbuncar. Sextus est, diffidere de æternis sua salute, abieci illius spe; eo quod Deus ( vi accidit ei qui Luc. 19. pecuniam Domini seruavit absconditam in sudario) concipiatur potius tanquam austerus & quasi tyrannus, quam vt pius pater.

### SECVNDA PAR S CAPITIS.

De causa & effectibus desperationis.

Causa desperationis ex D. Thoma 2. 2. quest. 20. art. 4. duplex est) posterior omittamus demonem, qui sepe desperationem suggestum prius quidem acedia seu tristitia quædam deiciens animum, & reddens segnem ac ineptum ad operandum: per eam enim dominantem in affectu hominis, inducit torpor quidam auertens à salute procuranda: posterior vero est luxuria, cui qui deditur est, non audet aggredi opera dura, & aspera virtutum ac penitentia, quibus mereatur salutem æternam.

Effectus desperationis est quoque duplex, unus, nimia sollicitudo terum temporalium: alter, thesaurizatio seu avaritia diuitiarum.

Circa priorēm (de quo sacri interpres ad cap. 6. D. Matth. & Summulari in verbo Sollicitudo) notandum est sollicitudinem temporalium, quandam esse laudabilem & quandam vituperabilem: laudabilis est enim, quæ suscipitur ex necessitate naturæ, seu ad procurandam vitæ necessariam; ne Deum temtemus, & ut orium fugiamus, ac virtutem exercemamus. Nam sita est illicta, non diceretur Genes. 2. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Nec in Proverbii cap. 6. vers. 6. piger mitteretur ad formicam, quæ aestate parat & congregat, quod in hyeme comedat. Laudabilis item est quæ suscipitur ex deuotione & charitate: vt illa de qua Luc. 10. Martha Martha sollicita es. ] & ad Rom. 12. Qui præstis in sollicitudine. ] & 2. Corin. 11. Sollicitudo omnium ecclesiastarum.]

Vituperabilis autem est sollicitudo superflua, & immoderata, quæ reprehenditur à Domino nostro Matth. 6. graueque peccatum esse ostendunt, sex (qua & ipsa per se peccata sunt) in quibus ea consistit. Primum est intentione voluntatis ferri in bona temporalia tanquam in finem, vitæque scopum. Id quod loco citato prohibet Dominus dicens, Nolite vobis thesaurizare super terram. Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Quibus verbis cum indicetur, talem sollicitudinem cōtinere auctorinem à Deo, cum conuersione ad creaturam, indicatur consequenter peccatum esse.

Secundum est, nimio studio quereret temporalia: ita ut spiritualia amittas propter ea. Id quod reprehendit Domi-

nus dicens. Primum querit regnum Dei & iustitiam eius, & haec omnia adiicientur vobis.

Terrium est, nimis timere ne temporalia deficiant, preterim necessaria ad vitam: quem timorem Dominus repellit tribus argumentis. Primo, quod anima plus sit quam esca, & corpus plus quam vestimentum; quasi dicat, Deum qui animam & corpus nobis dedit, sine nostra anxia sollicitudine, daturum esse nobis, sive eadem, viatum & vestitum. Secundo, quod platis & bellis prouideatur sine tali sollicitudine. Considerate, inquit, filia agri, &c. Tertio, quod gentes talia inquirant: quasi dicat: Talem timorem prouenire ex defectu fidei, seu recta existimationis de prouidentia Dei.

Quartum est, non tatis confidere de habendo auxilio diuino, ad obtinenda talia bona: cui obtiuat Christus inquietus: Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quintum est, nimis confidere suis viribus & industria ad talia consequenda. Id quod reprehendit Dominus inquietus: Quis vestrum potest ad statuam suam adjicere cubitum vnum. Sextum est, talem sollicitudinem nimiam, prothare in futurum; contra quod ait idem Dominus, Nolite solliciti esse in crastinum.

De thesaurizatione illud solum occurrit notaandum, etiam a sollicitudine, de qua dictum est differre solum, quod sit superflorum, cum illa sit necessarium: & ideo dici superabundanter in posterum prouidentiam. Est autem illicita, sicut & aedificatio sollicitudo quando immoderata est, & prouenit ab affectu nimio & cupiditate diuitiarum; prohibeturque maxime per citata verba Domini nostri, Nolite vobis thesaurizare super terram. Licta est vero, cum prouenit ex affectu ordinato prouidendi suis in futurum: vt cum parentes thesaurizant suis filiis, vteis relinquant patrimonium sufficiens ad statuam suum fouendum, vel ad filias honesto matrimonio collocandas: quomodo Apost. in posteriori ad Corinth. cap. 12. ait parentes debeare thesaurizare filiis. Licta est similiter cum prouenit ex affectu pietatis: vt si aliquis thesaurizet ad aedificandam Ecclesiam, vel monasterium, vel xenodochium, vel alium locum: vel vt pauperes alat, aut cōtem pauperibus puellis suppeditet.

### TERTIA PARS CAPITIS.

#### De presumptione.

**N**omen presumptionis quadrupliciter accipitur. Primo pro robusta quadam spe: vt cum dicitur Iudith. Non derelinquis presumentes de te. Secundo, pro conjectura quadam: vt cum Sapientia 7. dicitur: Semper presumit sāua, perturbata conscientia: sive frequenter sumitur à iurisperitis. Tertio, pro virtuo per excessum opposito virtuti magnanimitatis: cum quis scilicet molitur & aggreditur ea quae facultatem suam longe excedunt: de quo D. Thomas 2. 2. quæst. 130. Quarto, pro virtuo virtutis spei contrario per excessum: quomodo post D. Thomam 2. 2. quæst. 21. de presumptione in presentiarum loquimur: vt nimis est virtus, quo quis sperat à Deo liquidum, quod secundum legem ipsius ordinariam non est possibile. Distingui potest autem in illam, qua quis nimium confidit divina misericordia: & in illam qua nimium confidit humanis viribus suis vel alienis.

Hartum prior tunc contingit, cum aliquis sperat se consecuturum veniam peccatorum sine poenitentia, & conuersione ad Deum; aut se quotiescumque libuerit etiam si perseveret in peccato, eamdem poenitentiam & conuersiōnem habiturum: aut se non excifurum à divina gratia, nec puniendum quantumcumque peccator sit; aut demum se consecuturum viram æternam sine vīlis operibus meritoris. Hac vt D. Thom. in cit. quæst. 21. art. 3. offendit: non tantum opponitur spei, sed etiam timori Dei, de quo postea: illi tamen magis, quam huic: nasciturque ex superbia, qua quis reputat se dignum, cui Deus misericordiam praestet.

Posterior vero contingit, cum quis sperat beatitudinem, tanquam debitam suis naturalibus meritis: aut obtinendam suis viribus absque Dei gratia. Quia insania laborat,

qui nihil curans de gratia Dei, sperat se beatitudinem consecuturum, quia doctus est, vel qui nobilis, aut potens in armis, aut diuiniti affluens, aut aliqua alia naturali dore præstat: & haec opponitur per excessum virtuti magnanimitatis, sicut puillanimæ per defectum: nasciturque ex inani gloria, vñ D. Thom. docet in cit. q. 21. art. 4.

Vtique adhuc potest esse vel pura, id est, absq; hæresi, vel alia infidilitate: vt in multis Catholicis male viventibus, in quibus præsumptiōibus, iudicium intellectus invenitur esse sine errore contra fidem: vel mixta id est, coniuncta cum hæresi aut alia infidilitate: cuiusmodi sunt in Pelagianis, qui præsumebant se saluandos viriles naturæ & solis libertatis arbitrij. Huiusmodi est etiam Lutheranus & Caluinianorum, qui præsumunt se saluandos sola fide, sine vīlis bonis operibus & meritis.

Præsumptio autem mixta peccatum est longe grauius, quam pura: tanquam haec quoque peccatum est mortale, tanquam notabiliter inlūcū Deo, cuius prouidentiam & iustitiam lèdit grauitate: estque de numero peccatorum quæ dicuntur esse contra Spiritum sanctum, ut videatur est apud Nauarri in Enchir. cap. 23, in fine: unde ne quæma dicitur Ecclesiastici 37. ver. 3. Nec in ea (vt nec in desperatione) datur excusatō ex materia parvitate: sed solum ex defectu deliberationis, vt alii citati Sanchez in opere moralib. 2. cap. 34. num. 7. sub finem bene notat. Et ratio est, quia laesio attributi diuinipatia a cōfessiōne nequit ex parte materia infinita totaliter. Cum autem, sicut prædictum est: duplex sit, una de misericordia Dei, altera de viribus humanis: illa grauius peccatum est, quam haec vt docet D. Thom. in eadem quæst. 21. art. 1. ad 1. Ratioque est quia illa facit Deum non iustum, vt qui in danda salutē, nullam rationem habeat boni vel mali operis: haec vero facit hominem maiorem quam sit. At minus malum est te ipsum maiorem facere quam sis, quam Deum aliqua sua perfectione minuere. Vnde intelligitur grauius nunc esse in Lutheranis & Caluinianis peccatum præsumptionis, quam olim fuerit in Pelagianis.

Si queras, an præsumptio sit peccatum maius desperatione. Respondeat D. Thom. in sequenti art. 2. esse peccatum minus: quia minus est lēdere Dei iustitiam, quod sit per præsumptionem: quam lēdere misericordiam, quod sit per desperationem. Nam misereri semper & parcere, magis est Deo proprium propter infinitam suam bonitatem, quam punire.

Ceterum iudicanti de his peccatis obseruandum est: de ratione quidem eorum esse conformitatem voluntatis cum aliquo fallō intellectus iudicio, sed non esse necessarium (quod etiam admonet Gregor. Valen. 22. disput. 2. quæst. 3. pun. 1. & 2.) idipsum iudicium præcessisse aetū, adeo vt possit quis desperatione peccare quantumvis non iudicari, sibi impossibile esse afflictionem beatitudinis, si voluntate beatitudinem ipsam perinde refugiat, ac si iudicaret impossibile sibi esse illius afflictionem. Item possit peccare præsumptione is, qui quamuis non habeat iudicium falsum circa prouidentiam & iustitiam Dei in remunerandis bonis, & puniendis malis operibus: tamen voluntate sua in aeternam salutem tendit, perinde ac si ea posset sine meritis & poenitentia obsecneri.

### TRACTATUS III.

#### De charitate & ei contraria.

**D**E hac materia copiose D. Thomas 2. 2. quæst. 23. ad 25. Ad nostrum autem institutum sufficit hoc loco dicere aliiquid. 1. De charitatis natura. Secundo, de illius dignitate, necessitate & præcepto. 3. De peccatis contrariis charitatis charitati in Deum. Quarto, de peccatis contrariis charitati in nos ipsos: & postremo de peccatis contrariis charitati in proximis.